



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 124. Lutheri sectam profitendi libertas ab Hungariæ Regina concessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

sus Pontificem summis precibus fatigabant, ut hanc quoque conditionem superprimeret. Id quoque eorum precibus datum, moxque clausula hac sublata absque ulla restrictione sententia Viennæ fuit promulgata: proin Ferdinandus, ceterique hujus cædis conscii ad pristinum statum restituebantur, quamvis in Hungaria, & Romæ, aliisque locis passim hæc sententia potius pro factæ gratiæ diplomate, quam justitiæ testimonio haberetur, atque Cardinalem injuste occisum fuisse non ambigeretur.

§. CXXIV.

Lutheri sectam profitendi libertas ab Hungariæ Regina concessa.

Sub idem ferme tempus Elisabetha Hungariæ Regina perniciosis Petrovitii consiliis seducta Lutheri sectatoribus favebat, cum enim hic novæ hujus sectæ studiosissimus plurimum gratia apud Reginam valeret, eo illam inducebat, ut edicto Tordæ promulgato Lutheri hæresin profitendi libertatem permetteret omnibus incolis Transilvaniæ, quæ provincia non ita pridem hujus Reginæ, ac Joannis Regis imperio reddita fuit. Hæc indulgentia ingentes prorsus calamitates in Hungaria suscitabat; quippe vilipendebantur Episcopi, bonis suis Ecclesia-

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

clericali spoliabantur, suis Ecclesiis Clerici, suisque Monasteriis eiciebantur Monachi, tandemque Lutheranorum crudelitas eo processit, ut ipsemet Solimanus, quamvis a vera fide longe alienus esset, plurimum tamen inde offenderetur, atque ad gravem iram concitaretur: quapropter datis ad Reginam literis illam admonuit, ne suam Religionem ejusmodi novitatibus contaminari pateretur, cum ex illis nil nisi suæ vitæ jacturam, ac Regni exitium pertimescere posset; potius ergo seriatim ponderaret tot homicidia, seditiones, ac bella civilia, quæ per insensatam, novamque hanc Lutheri pestem in Germania fuerunt suscitata: si igitur hisce novitatibus obicem ponere, ac suorum Majorum Religionem revocare negligeret, se deinceps Turcici Imperii præsidio privatam, ipsique tanquam hosti bellum ab Ottomanis nuntiari sciret. Regina hisce minis perterrita, cum illarum executionem pertimesceret, ad procurandam utilitatem suam consilium cepit, quod ut manifestaret, adstringi haud potuit, Tordanum tamen edictum revocavit, atque aliud eisdem oppositum promulgavit. Verum jam potissima mala ex priori edicto erant inuenta, alterum vero segniter prorsus executioni dabatur.

§. CXXV.